



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Matutina eius commentatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

genibus protinus curuatis, dimidiato horæ quadrante, tantâ spiritus dulcedine precabatur, ac si noctem totam orando extraxisset; mox solum terens osculis, mox animum suspirationibus erigens, mox alijs mentem accendens artibus. Subinde surgens è lectulo, Psalmorum versiculos, similesque preces ita suauiter modulabatur, vt nullam contubernali molestiam adferret.

Statam meditationi horam flexis perpetuò peragebat genibus, re nullâ nixus. Prius quàm orandi daretur signum, haud procul eo aberat loco, quo se erat in genua curuaturus, reliquoque commentationis tempore adeò quiescebat, vt ne minimo motu præsentia eius percipi posset, donec paulatim gliscente calore pectoris, locum erumpenti flammæ cum gemitu dare cogeretur; eiusque suspiria plerumque suauissima, subindè adeò erant vehementia, vt contubernali, ad alterius vsque meditationis horam fortè dormienti, expellerent somnum. Sæpè clanculum à sodalibus sub id tempus obseruatus, eo erat ardore vultus, vt non absimilis Seraphino videretur. Solebat imminente meditationis fine arctè admodum sæpiusque osculari imaginem illam MARIÆ infantulum gerentis parieti affixam; deciesque aut duodecies oscula repetebat continenter, magnâ oris

*Matutina
commentatio.*

arridentis hilaritate. Hancque iconem, Ioanne mortuo, cum Collega quidam, sacri instar spolij, vindicasset, etiamnum religiosè adornatam, pro sacris Reliquijs apud se magno pietatis sensu veneratur.

Audito finitæ meditationis signo, statim in pedes se erigebat, breuiterque expenso orationis peractæ cursu, accedens ad mensulam, notabat strictim & commentationis progressum, & proposita facienda, & faciendorum incitamenta: quæ constans diligentia tantum nobis saluberrimarum scriptionum thesaurum morti eius superstitem conseruauit.

*Lumina,
caelestisq;
consolatio-
nes.*

Iam verò illustrat' multa lumina, sublimesque mysteriorum sensus, abditasque caelestium rerum cognitiones oratio obtinebat.

Tam liquidis diuinarum consolationum voluptatibus pascebatur, vt planè quiuis intelligeret, diuini eum sinus foueri delicijs, & caelestibus Angelorum Reginae vberibus recreari. Enimuerò subinde eo habitu apparebat, vt Deo plenus esse non obscure videretur.

Et quidem octonis ante mortem mensibus, quodam Sabbatino die (is erat xv. Kal. Ian. anni M. DC. XXI.) tam ingens fuit perfundentis se diuinæ vbertas dulcedinis, consolationumque caelestium vis, vt eam nec dissimulare diutius (quin postridie mihi diceret) neque